

126. Quemadmodum igitur in veteri Testamento promissio illa foederalis non erat absoluta, sed determinata, quoad circumcisionem & salutis oblata media: Ita hodie quoque etsi Deus omnium Deum se fore in Evangelio testatur: applicatione tamen opus est, quae fit per usum mediatorum à Deo institutorum.

127. Et nullum prorsus aliud ex promissione illa privilegium ad fidelium liberos redundat, quam quòd per eam, quidam ad ea media, per quae foederi divino illi inseruntur, aperitur accessus: qui liberis extra Ecclesiam natis, nisi prius adultiores facti in fide instruantur, minime conceditur.

128. Quibus ita constitutis, firmiter concludimus, in quorumvis infantum baptizatorum cordibus, semper in ipso Baptismi actu, regenerationis gratiam, & fidem Spiritum sanctum operari: ita quidem ut de ipsorum regeneratione & salute, si forte ipsos post baptismi usum decedere contingat, non probabile: sed certum, indubitatum ac prorsus infallibile argumentum à parentibus peti & possit & debeat.

129. De Adulorum baptismo quaeritur, An illi quoque omnes regenerationis beneficio fruantur: & si contingat aliquem in hypocrisi petere ac percipere baptismum, an is fiat etiam particeps ipsius fructus & efficaciae Baptismi.

Respon-